

CAPUT. VI.

DE CESSATIONE OBLIGATIONIS CONTRACTUUM.

§ I. REGULAE GENERALES.

601. Modi quibus contractuum obligationes extinguuntur, sunt, juxta C. C. (a. 1234 seqq.):

1° Solutio, seu executio rei de qua conventum est.

2° Novatio, seu substitutio novi debiti, debitoris vel creditoris, qua debitum prius extinguitur vel prior debitor liberatur. (a. 1271)

3° Volentaria condonatio a creditore facta.

4° Compensatio quae ex lege oritur, ex. gr. quotiens duae personae sibi invicem debent eandem quantitatem pecuniae vel rerum fungibilium. (a. 1291)

5° Confusio, quae habetur cum obligatio debitoris et jus creditoris in eandem personam conveniunt, puta per hereditatem.

6° Amissio rei determinatae quae e contractu debebatur, dummodo non culpa debitoris, sed casu fortuito amissa fuerit. (a. 1302)

7° Rescissio contractus, ex. gr. a minore initi.

8° Eventus condicionis quae resolutoria dicitur, eo quod obligatio contractus, cui apponitur, tollitur quamprimum ipsa verificatur, ex. gr. si quis merces vendit ea condicione ut, si iisdem infra mensem indigeat, eas repetere possit. (a. 1183)

9° Praescriptio. Cfr. n. 493.

Manifestum quoque est quandoque excusari unam vel utramque partem ab implenda obligatione quam per contractum assumpserit; perinde ac de obligatione legis a Superiore latae dictum est n. 114. Nullum dubium esse potest, ubi obligationis susceptae executio facta est *physice impossibilis*. Ita etiam in lege civili (C. C. a. 1148) ab omni indemnitate praestanda excusatur qui vi praevalente vel casu fortuito impeditus fuit quominus pactum exsequeretur. Ubi vero implendo contractui obstat tantum *moralis impossibilitas* seu magna difficultas, pro foro conscientiae prudenter pensandum est e momento contractus, e specialibus stipulationibus (si quae adfuerint), e consuetudinibus receptis, etc. ad quantum incommodum ferendum se adstringere contrahens voluerit.

Speciatim in contractibus onerosis, ratio excusans unam partem a

praestanda re ad quam se obligavit, haec esse potest quod altera pars non praestat onus quod ipsi incumberebat. Regula enim aequissima est et contractui oneroso implicita: frangenti fidem, fides servanda non est. Attamen, ubi de contractu agitur qui juridice probari potest, contractus ipse nequit censi irritatus ob alterius partis infidelitatem, antequam iudex contractum irritaverit vel declaraverit alteram partem aliquid fecisse quod, ex ipsa conventionem, nullitatem contractus secum trahat: nemo enim sibimetipsi jus dicere potest. (Marres, l. 3. n. 184) Insuper attendendum quandoque a lege civili, ob alterius partis infidelitatem, non concedi irritationem contractus, sed tantummodo media quibus eadem pars cogatur praestare quod debet. Ita de contractu census vitalitii statuit C. C. a. 1978.

602. **QUAER.** Num, in foro conscientiae et ante sententiam iudicis (quae certe servanda foret), debitor teneatur ad solvendum debitum cui jam *probabiliter* satisfecerit.

RESP. Plures AA. qui nobiscum admittunt (n. 80), saltem in praxi, neminem teneri ad satisfaciendum obligationi certo a se contractae, sed cui probabiliter jam satisfecerit, excipiunt debitum ex justitia. Aliqui tamen, ut Marres (l. 3. n. 368) et Ball. P. (tr. de Conse. n. 171 seqq. et tr. de Just. et J. n. 421), opinantur manere tantum obligationem solvendi pro rata dubii.

Nos vero satis tutam existimamus sententiam quam fuisse tueretur Waffelaert (de Just. II. n. 260 seqq.): debitorem jam non teneri ad solvendum. Nam cum debitum *hic et nunc* jam non sit certum, sed probabiliter tantum urgere pergat, non apparet quare debitor debeat se spoliare re sua; ad hoc enim nemo videtur obligandus nisi cum ratio obligationis non tantum fuerit, sed actu sit moraliter certa. (n. 521) Neque obstat ratio sententiae quae integram solutionem in casu faciendam esse tenet: non satisfieri debito certo per solutionem dubiam. Etenim si debitum adhuc certum foret, omnino concederemus ei non satisfieri per solutionem quae probabiliter tantum sit aequalis debito. Verum, in hypothesi nostra, jam incertum est debitum, ac proinde aequalitas laederetur in detrimentum debitoris qui pro debito incerto cogeretur facere solutionem certam. Pariter infirma est ratio eorum qui opinantur pro rata dubii solvendum esse: solutione probabili jam ex parte extinctum esse debitum, ac proinde aequalitatem justitiae propriam postulare tantum ut compensetur jus probabile quod creditori maneat. Etenim non est apta ad aequalitatem perfecte attingendam via quae necessario ducet ad inaequalitatem. Scilicet, facta hac solutione pro rata dubii, laedetur necessario vel creditor si debitum reapse nondum erat extinctum, vel debitor si jam extinctum erat.

Patet eandem solutionem aptari posse cuilibet restitutioni, etiam ex delicto, quae certe facienda fuit, sed jam probabiliter facta est. Ceterum sat raro hypothesis quam hic facimus verificabitur. Nam plerumque, facta diligenti investigatione, apparebit vel dubium pro solutione facta non esse vere probabile, ac proinde manere solvendi obligationem, vel pro solutione haberi moralem certitudinem ac proinde, omnium consensu, nullam superesse obligationem.

§ 2. SPECIALIA DEBITORIBUS OBAERATIS.

603. Non raro dubia conscientiae oriuntur de officiis et juribus debitorum qui aeri alieno integre exsolvendo impares sunt. Magnum autem discrimen in eorum condicionem inducit cessio bonorum quam sponte vel inviti facere solent. Quare prius declarabimus quo ordine creditoribus suis satisfacere possint vel debeant antequam bonis suis cesserint, deinde eorum jura et officia post factam bonorum cessionem praestuemus.

I. Ordo in solvendis creditoribus practice his regulis satis definitur videtur :

1° Imprimis legitimo domino reddenda esset res aliena quae, ex. gr. per depositum, locationem, etc. apud debitorem in individuo exstaret : nam *clamat ad dominum*. Id tamen probabilius non est applicandum pecuniae quam ex. gr. depositarius cum majore pecuniae propriae massa miscuisset. (Ball. P. partis II. n. 372) Quodsi res empta, pretio nondum soluto, apud debitorem exstet, probabilius (S. Alph. n. 685) non est reddenda venditori : siquidem, dominio jam translato, remanet eidem creditum tantum personale adversus emptorem, sicut et reliquis creditoribus. Attamen non esset inquietandus venditor qui rem suam occulte recuperaret, cum plures graves AA., ut Salmant. (de Restit. c. 1. n. 232), non improbabiler censeant rem tacite subjici hypothecae erga venditorem pro valore pretii.

2° Nullum praejudicium inferri potest iis creditoribus qui jus *reale* in quaedam debitoris bona acquisiverint : quod praesertim per hypothecam contingit. Non videtur tamen per se ulla specialis obligatio incumbere debitori, qui bonis nondum cesserit, erga creditores lege civili *privilegiatos* : quos enumerat C. C. aa. 2095 seqq. vel lex Belgica diei 16 Dec. 1851 (aa. 12-40), quae huic codicis parti substituta est. Nam legislator hoc privilegium ita constituit ut vim habeat tantum quando creditor aut legitime ipsas res privilegio gravatas apprehendit, aut saltem legitima intimatione significavit se suo privilegio uti velle. Ergo,

ante hujusmodi intimationem, hi debitores non sunt a reliquis discernendi.

3° In solutione facienda creditoribus *jus reale* habentibus circa bona debitoris, certe praeferendi sunt anteriores posterioribus : his enim bona obligantur tantum quatenus eorum valor prioribus obligationibus non erat exhaustus. (1) Nullatenus autem praeferendi sunt reliqui creditores qui tempore sunt priores : nam communia debita non afficiunt bona, sed personam debitoris. Attamen damnari non posset qui prius satisfaceret creditoribus tempore prioribus : nam S. Alph. (n. 690) censet probabilius eos esse reliquis praeferendos, quia " creditor anterior personalis, quamvis directe personam debitoris, indirecte tamen habet obligata etiam ejus bona, in quibus non debet praejudicari a creditore superveniente. "

4° Nihil cogit debitorem ut satisfaciat pauperibus prius quam ditioribus, ut communissime docent Theol. (Carrière, de Contr. n. 392) Attamen quandoque, ex praesumpto ceterorum creditorum consensu, licebit integram solutionem facere iis qui in gravi necessitate versantur, aut in eam, negata solutione, inciderent. Immo S. Alph. (n. 691) univere probabile censet posse praeferi pauperiorem diviti vel non egenti.

5° Nullo jure obligatur debitor ut prius solvat debita ex delicto quam debita ex contractu (S. Alph. n. 688), neque ut praeferat creditores certos pauperibus qui incertis creditoribus quandoque substituuntur (S. Alph. n. 687) : quamvis probabilius censeamus prius restituendum esse creditoribus certis, quorum jus ex lege naturae oritur, dum jus pauperum a solo jure positivo originem trahit. (n. 552)

6° Prius solvenda sunt debita e contractu oneroso quam debita e contractu gratuito. Huic enim semper apponitur tacita condicio : *si absque nimio incommodo id praestare potero*, quae certe in casu non verificatur. (S. Alph. n. 689)

7° Si creditor, qui neque ex tempore, neque ex paupertate, probabilem praelationis rationem habet, solutionem petit, probabile est eam ipsi integre fieri posse (Marres, l. 3. n. 310), tum quia ita fert usus in commercio receptus, saltem ubi dies solvendi advenit, tum quia plerumque solutio sine magno incommodo denegari nequiret. (2)

8° Debitor qui, sine justa causa, offerat solutionem integram vel majorem quam ceteri mox habituri sint, peccat contra caritatem ob damnum quod ex illa solutione ceteris oriturum praevidet. Quin et contra

(1) Ex C. C. (a. 2134) vel lege Belgica cit. (a. 81), ordo inter hypothecas computandus est a die qua ab earum Conservatore inscriptae sunt.

(2) Hic nihil dicitur de petitione juridica, de qua loquuntur antiquiores AA. Nulla enim efficacia eidem, in Jure nostro, agnoscitur.

justitiam probabilius peccat, ut sentiunt plerique (Bus. ap. S. Alph. n. 692), quia laedit jus reliquis creditoribus competens ut sibi *pro rata* satisfiat. Attamen non improbabilis videtur sententia contraria. Nam si licet integre satisfacere petenti, non apparet quare injustus sit qui creditorem amice moneat ut solutionem postulet vel etiam non petenti solvat : siquidem vel ante vel postquam soluta acceperit, poterit facillime petitionem praemittere. (Ball. P. n. 380; Lehm. I. n. 1027) Plerique autem opinantium debitorem, qui solutionem offerat, peccare contra justitiam, existimant creditori fas esse ut solutum retineat, quia suum recipit, neque habet obligationem, quae soli debitori incumbit, invigilandi ut omnibus creditoribus pro rata satisfiat. (D'Annib. l. c.)

9^o Saepe solutiones factae a debitoribus, qui solvendo impares erant, a iudice irritantur. (Cod. Commerc. aa. 445 seqq.; C. C. a. 1167) Hac rescissione facta, creditores in conscientia tenentur ad reddendum quod acceperunt : applicantur enim leges justae et secundum quas tacite ineuntur contractus e quibus debita orta sint.

II. 604. Cessio honorum in eo sita est quod debitor, omnibus debitis solvendis impar, bona sua omnia creditoribus tradit. (C. C. a. 1265) Eadem vel *judiciaria* vel *voluntaria* nuncupatur, prout a iudice invitis creditoribus imponitur vel sponte a creditoribus acceptatur.

Jam hodie, in Belgio, nullus locus est cessioni judiciariae, quam legislator Gallicus (a. 1268) infelici debitori concesserat ne in carcerem truderetur : lege enim 27 Julii 1871 cautum est ne haec poena irrogetur ei qui, bona fide, debita vires excedentia contraxerit. Cessio autem voluntaria nullos alios effectus gignit quam quos continent stipulationes contractus inter ambas partes initi. (a. 1267) Hac peracta, omnino etiam in conscientia tenendus est ordo solutionis inter creditores a lege statutus, vid. ut primum privilegiatis, deinde hypothecariis creditoribus satisfiat ; reliqua vero bona inter ceteros creditores, vid. communes seu chirographarios, pro rata dividantur.

QUAER. I. Num cessio honorum, sub quocumque nomine fiat, debitorem a reliqua parte debitorum solvenda, in foro conscientiae, liberet.

RESP. Nullus est ambigendi locus quando creditores in contractu diserte addunt debitorem vel liberum fore vel manere obligatum : contractus enim servandus est.

Quodsi nihil exprimitur, certe manet obligatio quando lex ipsa eam manere diserte edicit, ut fit in lege Belgica 29 Jun. 1887 (a. 25) pro concordatis quae mercatores solvendo impares cum creditoribus ineunt ad praeveniendam decoctionem (faillite).

Seclusa expressa stipulatione vel legis determinatione, juxta communem DD. sententiam, suspenditur tantum, sed minime exstinguitur obligatio solvendi reliqua. (S. Alph. n. 699) Attamen sicubi communis persuasio invalesceret, denegata propter cessionem bonorum nova actione judiciaria, etiam desinere omnem obligationem in conscientia, id practice admitti posset. Nam, cum creditoribus singulis fas sit expressam apponere condicionem ne cessio valeat ad reliqua debita exstinguenda, ipsi sibi imputare deberent quod, vigente tali persuasione, non melius sibi consulissent. Praeterea, ut scite advertit Lehm. (I. n. 1035), homines negotiationi dediti, inter quos praecipue talis persuasio facilius enascitur, saepe pecuniam mutuam accipiunt cum usura tanta ut haec justa non esset nisi mutuantes in antecessum consentirent ad jacturam sortis faciendam, si forte negotia infeliciter mercatoribus cesserint. Numquam tamen a restitutione integra excusari possunt qui mala fide pecuniam aliorum, qui rei sint inconscii, maximis periculis objiciunt, parati, post cessionem bonorum, fortunam iterum experiri : hi enim injustum damnum scienter inferunt. Cfr. Crolley, de Just. et J. t. 3. n. 1232 ; Aertnys, t. I. de Praec. Dec. n. 365.

605. QUAER. II. Quid sibi retinere possint qui bonis cedunt vel in statum decoctionis similemve cadunt.

RESP. Principium generale est : eos posse servare ea quae necessaria sunt ad *parce* vivendum juxta condicionem suam : nam licet restitutionem differre ne quis a statu suo decidat. (Lugo, disp. 21. n. 41 seqq.) Ipsi autem creditores quandoque censi possunt consentire ut aliquid amplius retineatur si ita, ope commercii vel laboris, major sit spes fore ut debitor postea integre illis satisfacere queat. Insuper possent quandoque cedentes bonis quaedam occultare quae ipsi in magno pretio habeant, puta ob memoriam parentum, aliis autem minus pretiosa sint, cum spe fundata pretii postea creditoribus refundendi. (Waffelaert, I. n. 522)

Attamen, quotienscumque res auctoritate publica componuntur, hodie relinquuntur debitoribus bona quae ipsis ad sustentationem stricte necessaria sunt. Ideo cavendum est ne, praeter ista, alia retineant, saltem ubi bona relicta reapse sufficiunt ad *parcam* sustentationem, juxta principium generale supra positum.